I. N. D. E. D. N. J. C.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

ICTERO,

AUTORITATE AC DECRETO
Gratioſiſſimæ Facultatis Medicæ,
In Illuſtri & Florentiſſima
Sereniſſimorum Ducum Saxoniæ
Academia SALANA,
PRÆSIDE

GEORGIO WOLFF-GANGO WEDELIO,

Med. Doctore, Theoret. Profeſſore Publico,
Archiatro Saxonico, & S. R. I. Academiæ
Naturæ Curioſor. Adjuncto,
Præceptore ac Patrono ſuo magno,

PRO LICENTIA

Summos in arte medica honores, inſignia ac privilegia
Doctoralia legitimè impetrandi,
Publico Eruditorum examini ſubmiſſa
à

JOHANNE MARTINO HOFFMANNO,

Naumburgo Miſnico,
IN AUDITORIO MAJORI,
Horis ante & pomeridianis conſuetis,
Ad Diem Maji, Anno M DC LXXXV.

JENÆ, Literis KREBSIANIS.

DEO
TRIUNI,
PATRONIS,
ET
PARENTIBUS,

SACRUM.

QVOD
DEUS TER OPTIMUS TERQVE MAXIMUS
RATUM,
REI PUBLICÆ ÆQUE AC LITERARIÆ FAUSTUM,
ACADEMIÆ SALANÆ HONORABILE,
ÆGROTIS OMNIBUS SALUTARE
ESSE ET VELIT, ET JUBEAT!

AUCTORITATE
SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS
AUGUSTISSIMA,
AUSPICIIS FELICISSIMIS
SERENISSIMORUM SAXONIÆ DUCUM,
NUTRITORUM NOSTRORUM MUNIFICENTISSIMORUM,
RECTORE MAGNIFICO,
VIRO AMPLISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO,

GEORGIO SCHUBARTO,

ELOQVENTIÆ AC POESEOS PROFESSORE PUBLICO CELEBERRIMO,
EX UNANIMI COLLEGII MEDICI DECRETO
AMPLISSIMUS ATQVE EXPERIENTISSIMUS

JOHANNES MARTINUS HOFMANNUS,

NAUMBURGENSIS MISNICUS, PRACTICUS,
VIRTUTIS EXPERTÆ, ERUDITIONIS SOLIDÆ,
MULTIPLICIS IN VARIIS TAM IN, QVAM EXTRA GERMANIAM ACADEMIIS,
ET PRIVATIS AC PUBLICIS SPECIMINIBUS PROBATÆ EXPERIENTIÆ
BRABEION
H. E.
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES,
DOCTORIS TITULUM,
INSIGNIA, IMMUNITATES, DIGNITATES AC PRIVILEGIA
AD DIEM II. JUNII
MORE MAJORUM IN ÆDE ACADEMICA
IMPETRABIT AC REPORTABIT.
HUJUS VERO PANEGYRIS SOLEMNITATEM
UT
RECTOR MAGNIFICUS,
ACADEMIÆ PROCERES, OMNIUM FACULTATUM PROFESSORES, DOCTORES,
MAGISTRI, STUDIOSI ET QVICUNQVE ARTIS MEDICÆ SACRIS FAVENT,
HONORIFICA SUA PRÆSENTIA ET BENEVOLO APPLAUSU CONDECORARE VELINT,
OBSERVANTER, OFFICIOSE, AMICE ROGO

AUGUSTINUS HENRICUS FASCHIUS, D.

ANATOM. CHIRURG. ET BOTANIC. PROF. PUBL. ARCHIATER DUCALIS
SAXONICUS, HODIE FACULTATIS SUÆ DECANUS,
ET AD HUNC ACTUM SOLEMNEM LEGITIME CONSTITUTUS
BRABEUTA.
P. P. JENÆ A. O. R. M DC LXXXV. MAII XXXI.

LITERIS KREBSIANIS.



PROOEMIUM.

MAximum pulchritudinis momentum in colore decenti consistit. Ipsa quidem membrorum harmonia & partium artificiosa textura per se commendabili elegantiâ superbit, est suus faciei decor, corporis nitor, partium omnium insignissima conformatio; Si tamen color absit, gratia minor est.

Hic velut pigmentum est nativum, ex albo rubens, in neutro excedens, moderatè mixtus corpus decorans. Quod flos in plantis, id facies in animalibus. Junctus flos foliis, demum plenarium ornatum exprimit. Reliquum corpus candor gratus, faciem τὸ ζωτικὸν ἄνθος decorat, è sanguinis purpurâ & lymphæ liliis exurgens.

Ast non unus hujus decoris hostis est. Variolæ non rarò lævorem exuunt, & foveis suis exarant vultum. Vari ipsi, verrucæ, & tubercula alia, lentigines & maculæ variæ insidias ornatui struunt. Quin morborum commune est vitium, hoc speculo ut visendos se sistant. Si faciem videas, non gnarus intimæ scaturiginis, videtur sæpe quantivis pretii; sin scruteris penitius, anguis in herbâ est.

Notabilis præ aliis est deformitas visenda in ictero, ad gratam licet in vitâ communi auriginem deflectens, quo de dum agere instituimus, divinum ut adsistat numen, precamur.

CAPUT I.

De Definitione nominali & reali.

CUm non negligenda omninò ſit nominum diverſitas, operæ pretium erit, breviter evolutioni nominis inſiſtere.

ICTERUS à colore nomen indeptus eſt, quò omnes derivationes ad unum collimant, voce Græcâ in Latium receptâ. Sive enim à muſtelæ, ſeu milvi oculorum aurei coloris ſimilitudine, quod ἴκτιδ@ nomen innuit, originem traxerit, ſeu ictero ave, Latinis galbulus vel galgulus nominatâ, ſolo aſpectu regium morbum curante, teſte *Plinio*, res eodem recidit.

Idem morbi regii appellatio innuit, non tam à delicatâ atque regiâ curatione, de quo, præter *Celſum, Serenus:*

Regius eſt vero ſignatus nomine morbus,
Molliter hic quoniam celsâ curatur in aulâ;

Nec, ut alii volunt, à mulſo tanquam regio potu, quia morbus hoc potionis genere curetur; quàm ab auro metallorum rege deſumpta. Inde aurigo quoque appellatur, quod auri colorem ægrotantes præ ſe ferant, item auriginoſa perfuſio; fellis ſuffuſio vocatur etiam à quibusdam, quia cutis felle ſuffunditur. *Celſo* arquatus nominatur, ob arcus cœleſtis ſeu iridis ſimilitudinem. Germanis dicitur die Gelbesucht.

Sin diſtinctius vocis ambitum luſtremus, non unus morbus icteri venit nomine, ſed plures, ſaltim velut ſpecies. Ex hâc æquivocatione ut nos extricemus, liceat eodem jure, quo in aliis morbis procedunt medicorum filii, diſtinguere inter icterum & paſſionem ictericam. Seu, quod eodem recidit, alius icterus fuerit propriè dictus, & abſolutè, ſtrictè talis; alius latius & relativè, analogicè. Icte-

rus propriè talis nobis biliosus est, sive primarius, seu symptomaticus, de quo agemus inpræsentiarum latius. Latè etiam de colore quasi icterico, ut in hydrope, scorbuto, & aliis affectibus, item à corruptione sanguinis extravasati à veneno, & particulariter in vexatione desinente, ex rubore in livorem, ex hoc in flavum colorem desinente maculâ, accipitur.

DEFINIMUS icterum propriè sic dictum, quod sit decoloratio corporis universi in flavum vel fuscum præternaturalis, ab infectione succorum vitalium biliosâ.

GENERIS seu formalis rationis vicem sustinet decoloratio, seu coloris nativi floridi ex albido rosei vel quasi talis mutatio in flavum ac citrinum, quod ipse testatur sanè sensus. Et quidem universus corporis habitus hunc colorem præ se fert, ut sic distinguamus à particulari citrinitate vel livore, seu ab interno vitio oriundo, quod in incubo affectis & scorbuticis novum non est, Alp Flecken vocant, seu ab externis casibus. Differt quoque sic ab aliis decolorationibus, ut cachecticorum albâ, pallidâ, lividâ & plumbeâ, ut & quam icterum album vocant in morbo virgineo.

DIFFERENTIAM specificam absolvunt verba reliqua, quâ & inter se, & ab aliis distingvitur. Duplicem enim assignavimus colorem, ex uno fonte orientem & sororiantem. Unus frequentior & communis, qui καθ' ἐξοχὴν icteri nomine venit; alter paulò rarior & consequens magis priorem, quem nigrum vulgo vocant. Enimverò sit usus verborum tyrannus, præstat tamen fuscum denominare pressiori significatione tincturæ, seu coloris sese offerentis, inprimis in urinâ ipsâ, unde sub his duabus speciebus omnes gradus ac mansiones reliquas complecti licet. Vel saltem si nigri nomine utamur, latius paulo id fit, quatenus & fuscum sub se comprehendit, qui ad nigrum vergit.

Præternaturalis est hic color, seu icterus morbosus, ad

differentiam ejus, qui ſecundum naturam in quibusdam regionibus maximè familiaris eſt, quales ſunt calidiora climata inhabitantes Aſiatici, Africani, Habeſſini & ex Europæis remiſſiori gradu Hiſpani, Portugalli & alii. Generaliter enim loca calidiora inhabitantes magis ad fuſcedinem inclinant, ut ſeptentrionis incolæ albidiores eſſe conſueverunt, non minus certis gradibus diſtincti, ac priores illi.

Hinc refertur recepto uſu inter ſymptomata qualitatis mutatæ, nimirum in colore, ex quo etiam morbus cognoſcitur. Quamvis enim & ſuo modo ad actionem læſam, & excretorum ac retentorum vitia referri poſſit, ab hoc tamen potiori ac præcipuo meritò deſumitur denominatio.

CAPUT II.

Subjectum explanat.

SI ſedem morbi ſpectemus localem, generalis eſt univerſum corpus, quoad extimam veſtem, quam habitum vocant, ſeu ambitum potius extremum. Offendimus hic partitas operas inter partes fluidas & ſolidas. Cum enim qualis humor, talis color, elogio antiquiſſimo medicinæ Procerum, isq; ordinariè poſitivè à ſanguine, privativè à lymphâ proveniat, & albedo cutis propria huic debeatur, rubedo intermicanti & tranſparenti ſanguini, facilè patet, SUBJECTUM INHÆSIONIS eſſe partes fluidas, quæ ad ambitum corporis feruntur, ſanguinem & lympham; DENOMINATIONIS ſolidas, & principaliter quidem albidiores, adæquatè reliquas. Contraria enim juxta ſe poſita, ut id huc applicemus, magis elucefcunt; unde patet, quare album oculi, ob candorem quem habet eximium, primò & ultimò indicem morbi præbeat. Hæret omnis tinctura ſeu radix decolorationis peregrinæ in fluidis partibus, quam effundunt in ſingu-

las

ſas reliquas. Atque hinc decoloratio hæc ſuâ naturâ non eſt perpetua & perſiſtens, ſed tranſitoria. Simul exuberatio humoris deſinit, ceſſat etiam pedetentim color inde productus. Teſtantur eundem externæ, neque tamen penitus liberatæ ſunt reliquæ, colore enim hocce flavo internas quoque partes affici, ut inteſtina, quæ abundè vaſis arterioſis & venoſis referta ſunt, ex obſervationibus claret. Talem hiſtoriam legimus apud *Thonerum obſerv. medic. l. 3. obſerv. 1. p. 156.* quando ait: Refert Chriſtophorus Gvarinonius Rudolphi II. Imper. Archiater, in ſuis conſiliis, de Sfortia Cardinali Romano, icteritiâ defuncto, cum cadavere reſecto, inquiſitio interiorum membrorum facta, omnia inprimis autem hepar & inteſtina croceo colore totaliter infecta deprehenſa. Similem fermè caſum refert *Timæus l. 3. caſ. 28.*

Teſtis omni exceptione major eſt ipſa ſaliva, quæ non rarò citrino colore viſenda eſt, lymphæ coloratæ indicio, ut urinam & alia latius inferius recenſenda huc non arceſſamus.

Ut vero fluenta ducunt ad fontem; ita quoque fluidorum alius hic color ad interiora monſtrat viam. Supponit ſymptoma morbum, ſolidæ fluidorum ſtatum, fluida organorum vitalium, ubi elaborantur & ſcaturiunt. Unde plus ultra tendit medicus, & diſtinguendum venit inter *ſubjectum ſymptomatis* & *morbi*, ejusque *cauſa*. Hoc quærendum principaliter ſine dubio ibi, ubi bilis naſcitur & oritur; adæquatè, ubi fomitem & præparationem ſortitur. Cumque viſcera & humores perpetuum ſocietatis habeant vinculum, ad eundem ductum, quem in ſubjecto ſymptomatis ſecuti ſumus, etiam hîc optimè procedemus. Verbo in hepate, cum viſceribus obſtetricantibus ac ſanguine, icterus radicatur; ita tamen, ut diverſo reſpectu modò ſubjecti, modò cauſæ titulum ſuſtineant, de quibus jam dicendum venit.

CAPUT III.

Caufas rimatur.

CUm color teftetur de ftatu humorum, unde inter indices temperamentorum & cacochymiæ ambulat, isque afcititius fit in hoc affectu, cogitationem fuggerit de peccante humore.

CAUSA IMMEDIATA decolorationis ictericæ eft infectio fuccorum vitalium biliofa. Hâc enim pofitâ immediatè ponitur eadem, & vice verfa. Et quamvis particularum lucidarum hanc difpofitionem poffemus caufari; medicis tamen nobis licebit materiatam magis lucem ac corpoream affignare.

Infectio eft fuccorum vitalium, feu fanguinis & lymphæ, quatenus defcifcunt à priftino ftatu; quæ tum conjunctim fit, tum feorfim. Uterque participat de peregrinâ tincturâ, fpeciatim verò ferum, quod intimius poris admittitur, ultra fphæram fanguinis ipfius. Deturpata eft fanguinis purpura, inquinata feri ἀχρῳία, ut coloratus evadat humor coloris omnis expers. Infectio eft æquabilis, omnibus partibus communis, quibus affluunt tingentes fucci, beneficio circulationis; æquabilis in motu, unde nullas in cute exulcerationes, tumores, vehementesque pruritus excitat, quæ, fi fecus fieret, facillimè fequerentur. Totam maffam fanguineam infectam effe, & in ejus vehiculo fero cumprimis, poft venæfectionem apparet ad oculum.

CAUSAM MEDIATAM PROXIMIOREM affignamus bilem cum fanguinis undis confufam, adeoque peccantem receptis illis vitiis, quantitate, qualitate & inprimis motu.

Hæc ut melius pateant, ponemus 1. omnem colorem effe à fulphure, tanquam matrice lucis, 2. bilem effe colorum, cumprimis flavi & ex hoc natorum aliorum, matrem.

trem. 3. Sanguinem esse materiam bilis, & radicem primam omnium colorum in corpore. 4. Quales humores, talia esse viscera, & vice versâ; ut non repetamus hîc plura huc-spectantia, inprimis rubrum colorem omnes quasi reliquos secum habere. 5. Bilem materialiter esse in sanguine, & ex eodem debitis colatoriis separari, ne, præter alios usus, ipsa succos vitales inficiat. 6. Bilem separari eminenter in hepate, unde peculiaribus tubulis in intestini duodeni & jejuni confinia amandatur; aptari verò ad separationem in liene, mesenterio, & seorsim quoque separari ex parte in renibus.

Inde verò collectu facile est, icterum fieri duobus summis casibus, vel quando non separatur bilis, vel quando separata non excernitur, sed regurgitat; quibus tertium addi potest, quando sanguis in biliosum characterem degenerat.

Non separatur bilis, ita quidem ut in hepatis porulis, saltim sufficienter, dimissa vel in folliculum colligatur, vel in intestina defluat, vitio viscerum & humorum.

Ubi enim plus bilis generatur, quàm naturaliter per consuetas vias excerni possit, nec tamen fermento peregrino fœta est, æqualiter cum sanguine miscetur, ipsi lentorem affricat, ac, per circulationem totum corpus discurrens, in omnia membra sui characterem diffundit.

Non excernitur vitio tum proprio, tum meatuum, per quos expurgari debebat ordinariè, tum fibrarum motricium. Utrique vitio ancillatur obstructio, mater icteri, & hanc fovens tartarus, obstructionum faber, pituita, & in fusco acidum, ejusque species.

Peccat hinc cumprimis *qualitate* tùm sanguis tùm bilis, lentore, crassitie, viscedine, unde tantum abest, ut balsamum ejus vitale, seu partes sulphureæ, balsamicæ, & salinæ volatiles sint vegetæ, ut potius inertes sint sulphureæ, deficiant volatiles, unde nulla hîc febris, nulla efferatio in ictero sibi relicto; sed torporis potius indicia plurima.

 Posi-

Posito hoc vitio, necessariò etiam peccat in *motu*, ut quieta & tarda subsistat, nec deferatur κάτω, ut par erat; & exinde demum in *quantitate*, ut sulphur cœnosum, crassum, terreum, tartareum congeratur, & congestum inficiat humores, & suffundatur in corporis habitum.

Hinc si lien non rite ministret hepati, nec mesenterium, vel renes ipsi, redundat noxa in hepar, & ab hepate in massam sanguineam. Accedit non rarò vitium ipsius ventriculi; qualis enim chylus, talis sanguis, qualis sanguis, talis bilis. Nec intemperies hepatis indicta abire debet, quando fermentum ejusdem sanguini debitum, quando elater, spiritibus & fibris seu villis, in officio cessant, quando pori laxiores vel strictiores, unde separatio decens institui nequit.

Sin specialius excurrere velimus, faciunt huc hinc inde observata ab autoribus. Sic obstructio hæc simplex est nonnunquam, à materiâ magis mobili dependens, quandoque gravior; uti icterum à tumoribus & scirrhis hepatis obortum non unâ observatione perspectum est, poris & tubulis colatoriis callescentibus. Sic obstructio in cistâ felleâ ipsâ huc facit, quando bilis granulatur in lapillos, quod frequenter accidit. Quamvis enim non semper positis lapillis in vesiculâ bilariâ enascatur icterus, dato adhuc effluendi spatio; fit tamen & iisdem obstruentibus, sive in exortu, ut bilem recipere nequeat, sive in egressu, & longè quidem pertinacissimus.

Obstructio hæc etiam promovetur à nimiâ angustiâ meatuum, unde facilè à materiâ viscosâ impeditur evacuatio, & bilis retrò labitur. Nec minus bilis evacuatio impeditur ob meatus bilarii siccitatem, quale exemplum consignavit *Argenter. l. 4. aphor. Hipp. comment. 62.* contra ego, *inquiens*, dicebam ex siccitate corrugatam esse substantiam & membranas meatuũ, quæ bilem transmittunt ab hepate ad intestina, quod cum medicis aliis persvadere non possem,

exitus

exitus postea docuit: nam ægro mortuo,& dissecto, meatus illi ita consumti & exsiccati inventi sunt, ut, instar solidæ chordæ aut nervi, nullam amplius perviam haberent cavitatem.

Colica quoque icteritiam causat non rarò ex eadem ratione, quando flatuum copia distendendo non solùm intestinum colum divexat, sed & pori choledochi occludit orificium, unde bilis regressus & suffusio in totum corporis ambitum.

Et hic locus est de ictero fusco quoque,quem nigrum vocant, breviter disserendi, qui ex iisdem causis, mutato saltem gradu, enascitur. Uti enim prioris causa est bilis; sic hujus atra bilis, seu acidum vel austerum cum bile remixtum. Acidum hoc separatur in liene,ut bilis in hepate consurgere possit, alcalinæ naturæ, & acido contraria; duplici verò potissimum casu nigredo hæc intensiva ex flavedine producitur. Frequentius quidem obstructione fortiori continuatâ in ipso hepate, quæ si expediri nequeat, ex flavo in fuscum degenerat, adeoq; niger fit flavi successor; non rarò verò ipsius lienis, decoctoris acidi, culpâ, obstructione contumaci, vel scirrho, unde acidum prius studiosè seclusum in consortium venit mixturæ biliosæ, indeque nigredo, tum in corpore spectanda reliquo, tum maximè in urinâ. Neque experimenta abludunt, cum austera,acerba,acida vitriolica cum resinosis mixta vel sulphureis, per mechanicam, colorem nigricantem pariant, qui ne tantus sit, impedit in corpore vitalis calor, & mixtura temperantis lymphæ.

Degenerat verò sanguis in bilem & immutatione hâc suâ icterum quoq; parit, paulò impropriè respectu prioris dictum, quando vel à purgantibus non operationem consecutis aliquando, per accidens, vel à venenis, ac morsibus animalium fit ejusdem præcipitatio, deturpatioq;, quorsum & febres aliquando fuerint referendæ, nisi per accidens forsan ipsis jungatur comes. Icteri flavi & nigri

gri ex veneno contracti exemplum legitur apud *Zacutum Lusitanum Med. Princ. Hist. l. 2. observ. 20.* & *Pergamenus l. 5. de loc. aff. c. 7.* meminit quoque servi, qui ob morsum viperæ ictero laboravit. Id tamen non perpetuum est, quod fermentum venenosum immutativum variet, natura à naturâ differat, ut de ipsius veneni quantitate & loco diverso non dicamus.

Ex CAUSIS MEDIATIS REMOTIORIBUS NATURALIBUS ad icterum disponit TEMPERAMENTUM biliosum. Quando enim particulæ sulphureæ sunt intensæ, serosæ verò blandæ deficiunt, facilè ansam præbet huic symptomati, quia ad bilem generandam præ cæteris illud aptum est.

ÆTAS etiam memoranda venit, quandoquidem frequentius in adolescente, & juvenili, quàm senili visitur. Ipsi quoque tenelli infantes frequenter ictero propriè dicto corripiuntur; uti & plerique recens editi aliquid icterici præ se ferunt, ob victum mutatum, & meconii reliquias.

HABITUS CORPORIS quidem parum confert, nisi quò albidior sit, eò eminentius icterum repræsentare dicamus, vel etiam densum minusque difflabilem causemur, ut remoretur longius protrusum biliosum crocum.

Ex reliquarum remotiorum & quidem nominatim NON-NATURALIUM promptuario ea concurrunt, quæcunque vel sanguinem magis intendunt, lympham difflant, calefaciunt, materiamque cumulandæ bili præbent, vel inprimis ad tartareas obstructiones, lentorem, crassitiem, flatus disponunt, & ejus evacuationem impediunt.

AER CALIDUS & SICCUS ad bilis generationem confert, ac massam sanguineam reddit calidiorem, quæ ratio quoque forsan est, quod notatum refert *Paschalius l. 1. de cur. morb. c. 43.* in Sardiniâ ex aëris corruptione, ineunte æstate aut autumno, in icterum incidere indigenas ferè omnes, exceptis iis, qui propter robur temperamenti aut aliâ de causâ resistere malo possunt.

Frigi-

Frigidus quoq; aër & humidus suum symbolum confert, unde maximè verè, ubi nova velut humorum fit fermentatio, & autumno, ubi ob fructus prægressos comestos bilis collecta est, grassatur icterus magis.

In CIBO & POTU errores in substantiâ, quantitate & qualitate huc quoque conferunt. Sic vinorum generosorum largior potatio, aromata, & alia calidiora & acriora, non solùm sanguinem calefaciunt; sed etiam bilis materiam suggerunt. Viscosi & tenaciores cibi cum non satis possint concoqui & verti in chylum laudabilem & sanguinem, abeunt in crassum humorem & lentum, qui obstruit, & concretioni aptatur facilè. Quæque ex his flatus cient & colicam, illa secundariò & ad icterum generandum concurrunt.

Ex ANIMI PATHEMATIBUS bilem efferat ejusque inordinationes facilè efficit ira vehemens. Tristitia, mœror, curæ, atque cogitationes intensæ symbolum suum addunt, torporem sanguini inferentes. Et sic in aliis quoque gemina hæc icterum generandi, licet contraria sibi visa, media præstò sunt, quædam humori, quædam viis debita, utraque in effectum eundem collimantia.

MOTUS & EXERCITIA si mediocritatis limites excedant, præprimis in æstate, facilè corpus ad hunc disponunt affectum, humores accendendo biliosos & ad effusionem instigando. QUIES immoderata obstructionibus velificatur, si quid aliud, adeoque & hîc evadit morbifica.

EXCRETORUM & RETENTORUM hîc non minima est culpa, quando excernenda non suis loculis procedunt decenter; sive crassiora æstimemus, quandoquidem obstructionem alvi frequenter admodum sequitur icterus, sive fluida, per urinam bile non separatâ ut debebat. Idem quoque de mensium suppressione tenendum est in biliosioribus, & atrabilariis, neque enim semper

chlorosis cum albedine faciei seu pallore conjuncta est, sed, quod cum cachexiâ habet commune, sæpe etiam citrinitas vel fuscedo de cacochymiæ qualitate testimonium præbet. Sæpe tamen etiam citrà ullam causam manifestam vel errorem in diætâ, ob viscerum ἀτονίαν successivè contractam, malum enascitur.

Ex PRÆTERNATURALIUM classe quædam symbolicè & directè, quædam indirectè icterum parturiunt. Ita, præter jam laudata, affectus hypochondriacus, scorbutus, hydrops, quartana & alia huc pertinent.

CAPUT IV.

Differentias complectitur.

QUamvis ex supra dictis sic satis constet, quænam icteri sint differentiæ; ut tamen ordinem servemus, breviter de his acturi sumus.

Ratione GENERIS seu FORMÆ differentia se offert essentialis magis inter icterum flavum & nigrum; magis enim & minus speciem non variant in substantiâ, ut ita loquamur, facilè tamen in accidentibus, quod exemplo febrium claret. Repetere etiam liceat distinctionem inter icterum verum & apparentem, propriè talem & analogum; albus enim non nisi ἀκύρως hoc nomine venire potest. Alius item simplex, alius complicatus, alius benignus, alius malignus, alius magnus, alius parvus est.

Ratione *temporis* alius icterus antiquus est, alius recens. Chronicus per se, acutus per accidens. *Cous* ratione anni temporum eundem dirimit in æstivum, autumnalem & epidemium, eò, quod omni tempore corripiat, (ex quo epidemii vox etiam lumen acquirit,) *l. de intern. affect. c. 39. seqq.*

Ratione CAUSARUM alius fit à copiâ bilis, alius à febribus; Alius à veneno, sive internè sumto, sive ex-

externè immisso; alius ab obstructione aut vesiculæ bilariæ, aut meatuum seu ductuum choledochorum; alius à quantitate pituitæ, alius à bile sibi relictâ, alius ab atrâ bile; alius primarius, alius secundarius. Quando verò eundem in criticum & symptomaticum distinguunt, argumento *4. aph. 62. & 64.* id cum grano salis est intelligendum. Nullus enim propriè icterus est criticus, sed suo modo etiam signat bonum vel malum, prout circumstantiæ variant.

CAPUT V.

Signa proponit diagnostica.

FUTURUM icterum & imminentem prænunciant eadem signa, quæ præsentem notant, minori gradu evenientia. Inter hæc *Hippocrati* notatus lumborum & lateris dolor, sine causâ manifestâ, quod alibi ad hypochondrium & lateris (πλευρȢ) dolorem refert, cum subviscidâ paucâ & frequenti alvi dejectione. Ad eundem ductum *Platerus* docet icterum præcedere & illius prænuncium esse dolorem compressivum circa cordis foveam, quod tamen habendum est pro communi signo, non proprio. Confirmat idem lassitudo, maximè verò decoloratio incipiens ab internâ causâ.

PRÆSENS vel actu se exerens latere nescit, visum enim incurrit color citrinus ac flavus, primò in oculis apparens, signum certum incipientis icteri, qui & ejusdem augmentum & decrementum arguit. Idem occurrit in volis manuum & sub unguibus, & in totâ denique machinâ humanâ.

Refertur huc quoque amarities linguæ, quod omnia gustentur amara, quia materia biliosa, per totum corpus diffusa, non possit non linguam afficere, cum habeat vasa satis ampla; id tamen non confirmatur æquè ab experien-

rientiâ, bilis enim confermentatione illâ æquabili amarorem suum exuit. Nec sitis, caliditas ac pigrities corporis perpetua est. Certius verò signum est unum in qualitate mutatâ & corporis, & alvi fecum, & urinæ. De corpore extimo jam diximus. Alvi excrementa utplurimum sunt pallida, vel coloris ordinarii expertia, nisi salvus sit magis ductus bilarius. Urina crassa & crocea, pannos linteos croceo tingens colore.

Pulsus ictericorum est, si absit febris, elogio *Galeni l. 4. de caus. puls. c. 26.* minor, durior, crebrior, non languidus neque celer, ac hujus doctrinæ rationem addit loco citato. Febris verò nulla adest, nec actiones reliquæ læsæ, seu vitales, seu animales, unde ægri utplurimum sibi relicti sunt ὀρθοστάδιοι, & solâ sæpè decoloratione moti domi se continent, cæteroqui muniis suis & in publicum prodire apti. Nec, quod inoluit vulgò, etiam apud eruditos, ictericis depravatur æquè visus, ut omnia objecta appareant flava.

Causam in visceribus, vel viis, vel M.S. hærere, circumstantiæ conjunctæ patefaciunt. Alvi scybala tincta minus obstructum canalem bilarium arguunt, albida contrarium, vel bilem saltem magis inertem & pituitosam.

Sin inflammatio hepatis adsit, quæ tamen rarior est, non absolutè icterus enascitur. Eo tamen casu febris adest, dolor acutus, respiratio difficilis, ob viciniam diaphragmatis, & alia. Idem de febre valuerit, è signis suis deprehendendâ.

Si icterus à veneno hausto vel morsu animalculi venenati contingat, signa ejusdem sunt secundaria, primariis inferiora, & ferè magis privata partis affectæ decoloratio, lividæ vel virides maculæ, subitanea dejectio virium, lipothymia, aliaque adveniunt.

Sin affectus longius duret, dejectiones constanter sint albæ, urina crocea, & medicamenta efficaciora licet prudenterque satis adhibita parum proficiant, de calculis, de scirrho, vel scirrhosâ dispositione cogitandum est, maxi-

maximè si dolor obtusus cum respiratione difficili, tensio item & tumor in dextro hypochondrio sentiatur.

Nec difficulter SIGNA SUBJECTI ex actionibus læsis, cum situ doloris, tumoris & similibus elici possunt. Niger magis ab affecto simul splene, flavus ab hepate frequentius irrepit.

CAPUT VI.

Prognostica signa subjicit.

CUm non minus jucunda quàm utilis sit PROGNOSIS, per hanc certior fit medicus, an auxilii quid à medicamentis sperandum.

Icterus ordinariè & sibi relictus inter acutos morbos non ambulat. Quamvis enim *Divinus Senex l. 3. de morbis c. 12.* & iisdem penitus verbis *l. de dieb. judicator. c. 7.* talem describat, qui acutus sit & citò occidat; ille tamen accidentarius magis fuerit, nec tàm, quà icterus, tantæ acutiei, quàm quà febris icterica. Magni enim fuerit momenti, quæ fermento bilioso debetur, & illi quidem tanto, ut sanguinis tota massa actu illud exuperans exprimat. Icterus ergò per se morbus est minus lethalis, nec periculosus. Quin ægri ordinariè non decumbunt morbo affecti, minus in actionibus læsi, indicio, quàm facilè feratur idem. Valet id cumprimis de affectu simplici, nec cum aliis stipato, ex obstructione pori choledochi, ad intestina procedentis, oriundi, & recente, qui non difficilis curatu est. Ex accidentibus verò idem fit periculosus, si longius duret, appetitus sit prostratus, vigiliis vel febri continuâ molestetur æger. Sin delirium accedat, vel singultus convulsivus, lethalis est; nam ubi bilis fervens in cerebrum rapitur, spiritus incenduntur, mens perturbatur, vel nervosum genus quatitur, adeoque æger magno versatur in periculo.

Icterum in senibus & pinguioribus existentem, raro aut

nunquam ſanari *Foreſtus* ſtatuit *l.19. obſ.18.* Conjuncta inflammatio ſuo item incendio periculum majus minatur, quàm ictericâ effuſione, unde & liberationis ſigna, hæmorrhagia, vel ſuppuratio non huic ſed illi adſcribenda ſunt.

Icterus niger periculoſior flavo. A venenis exortus lethalis ferè eſt, & quò venenum vehementius, eò periculoſior erit morbus: arguit enim magnam humorum corruptionem.

A ſcirrho & impensâ duritie prodiens non minus gravis eſt, &, ob vaſorum lymphaticorum obſtructiones conjunctas, in hydropem facilè commigrat ac mortem. Hydropem excipiens utplurimum συναποθνήσκει.

Cœteroquin nec morâ æquè moleſtus eſſe ſolet, modò auferatur cauſa, obſtructio, pro cujus modulo tempus unicè variat. Levior breviter curari poteſt, gravior non deſideratâ brevitate, quam ob rem flavus ad dies, vel unam alteramque hebdomadem, niger etiam ad menſes exporrigitur. Per biennium durantem notavit *Sylvaticus conſ. 26. cent. 3.*

Modus Eventus ad *ſalutem* tendit, difflatâ ſenſim & diſcuſsâ flavedine bilioſâ, reſeratis tubulis & canalibus, ut priſtino fluere rivo bilioſa amurca poſſit. Ad *mortem*, quando reſtitui nequit, ob ſcirrhum, calculos, coalitum, unde in cachexiam, hydropem, hæmorrhagiam lethalem degenerat, excuſſo lymphæ munere.

Caput VII.

De Curatione.

QUod ad CURATIONEM concernit, è methodi medendi legibus defecandi ſucci vitales peregrino croco, reſeranda obſtructio, roboranda viſcera, proſpiciendum reliquis conjunctis, ſeu primam ad ſe vocent medici curam, ſeu alteram.

E FON-

E FONTE CHIRURGICO remedium universale,& aliàs summum, VENÆSECTIO in ictero videtur præstare parum, vel nihil. Nulla hîc sanguinis onerositas, nullus citatus motus, nihil quod eandem per se indicet. Et parum profuerit venas sublinguales reserare, pro liberandâ facie.

CUCURBITULÆ SICCÆ duplici casu ex usu esse queunt, dissipandi fine in declinatione morbi, & evocandi, si morsus animalis venenati in culpâ forsan fuerit, quo casu & ipsam scarificationem commendant plurimi. Præstant quoque utroque nomine FRICTIONES, dissipandi usu satis commendatæ. Elui unà vulnus potest aceto bezoardico, theriacâ, spiritu theriacali, succo rutæ, & alia fieri, quæ eo casu addecet.

E PHARMACIÆ penuario LENIENTIA ictericis apprimè conveniunt, quæ expediendo alvi scybala, ἐκκοπρωτικὰ hinc dicta, exitum bili excrementitiæ concedunt, & reliquis medicamentis viam apparant. Blandè unà abstergunt vias, bilis confermentationem intermissam promovent, & deobstruunt, torporem blandè promovendo. Laudanda hoc fine aloëtica, *pilulæ aloeticæ, ♀eæ, ☉les, rosatæ, violatæ, elixir proprietatis*; rhabarbarina, quæ ipsa unà sunt specifica, ut *rhabarbarum* in substantiâ, *anima rhabarbari, extractum ejusdem* & *infusum, sirup. de cichorio cum rhabarbaro*, qui in infantibus ictericis percommodus est; ♀ea, ut *cremor & crystalli ♀ri, ♀ ⊕latus*, ℞*a ♀ri*, quæ multis nominibus sunt proficua & polychresta. Optima quoque sunt infusa ex alterantibus & purgantibus concinnata, tanto præsentius sic amurcam biliosam per διήκρισιν defecantia.

Cumque ictericorum alvus pigrior sit, ob bilis, quæ clyster hinc audit naturalis, deficientem stimulum, ad reserandas has obstructiones tum laudata hæc necessaria sunt, tum clysteres ipsi, ex emollientibus & detersivis parati.

Eminentiori gradu vires ſuas exerunt PURGANTIA, cum ipſis aperientibus, tanquam præparantibus hoc loco genuinis, interpolata. In his ſanè maxima locanda fiducia, ſiquidem viſcedinem lentam & terreſtrem attenuant, liquant, bilemque ad naturalem ac conſuetam aptant viam, obſtructionem pori choledochi optimè reſerant. Proſunt præ lenientibus, in primis viis hærentem & hoc incommodum cauſantem materiam commodè educendo, modò virium ratio & ſubjectorum habeatur debita.

Hinc curioſè monet *Cous*, ne bilem moventia promiſcuè propinentur ictericis, quando nempe non humectatum prius fuerit corpus, non præmiſſa aperientia, quæ ſub diureticorum nomine commendat, indeque corpus his ipſis propinatis magis conturbari poſſit; quo de vid. *l. de loc. in hom. c. 40. & l. de affect. c. 33.* Et hoc pacto mens videtur patere *divini ſenis*, nec contradictio in verbis eſſe vera.

Optimum omnium eſt *rhabarbarum*, & leniendi, & purgandi, & alterandi fine, item *reſina ſcammonii*, *cerberus triceps*, *trochiſci dacrydii*, *alhandali*, *ſpecies diaſenæ acuatæ*, *diagalap. extract. cholag. Q. cathol. panchymag. ☿ dulc. gummi guttæ*, & alia.

Horum recenſione & illud memoriam ſubit, addendum prioribus, ſæpè non tàm bilem educendam, quippe quæ ſibi relicta ſtimulat, & balſamica eſt, quàm obſtruentem & inviſcantem pituitam. Facilè quoque patere poteſt, & liquidam formam præferendam ſæpe aliis ad purgandam ſenſim ſenſimque, ſecundum ægri tolerantiam, viſcoſam materiam, & tartarea fermentativa optimè cum hiſce combinari. Ipſa ſæpenumerò ſufficit *gialapa*, colicam & icterum, crebriori experimento, unâ operâ & doſi ſuſtuliſſe viſa.

Nec EMETICA quoque ſunt negligenda penitus, utpote bilis in primis viis exuperantis & viſcidæ genuinum remedium, factâ ſic activiori ductuum occluſorum reſeratione; ſeu primariâ doſi dentur per ſe, ſeu refractâ

cum purgantibus. Ex his præ aliis laudem merentur *antimonialia*, infuſum vini malvatici cum *croco metallorum*, vel *vitro ♁ii, aqua benedict. Ruland. ☿ emeticus, manna ⊕li, ☿ius vitæ &c.*

Non ultimum obtinent locum Diuretica, utpote excrementitiam bilem è maſsâ ſanguineâ, unà cum ſero, efficaciter educentia, præcipuè cum ipſa natura hæc recrementa ſanguinis per hanc viam ordinariè expellere asſueta ſit.

Præcipua ex his ſunt reſolventia, ſaponaria, ſimul aperientia, unde cum ſpecificis coincidunt vi attenuandi & fundendi moderatè, nec ſine humectantibus, unde oleoſa volatilia & calidiora minus huc fecerint. Ex paucis inſtar aliorum ſint *☿rus ⊕latus, ☽ △rnt. ~ ⊕l. coagulat. flor. ⊖ ✱ci ♂al. ⊖ milleped. ⊖ ☿ri & □æ volat. arcan. ☿ri, clyſſ. ♁ii, ℞a ſtitic. Glaub. ♁ii, fl. bellid. violar. aquileg.*

Sicuti verò diuretica vaſis & humoribus depurandis locant operam; ſic non minus Diaphoretica in poris glandularum eosdem expediunt. Ordine & dignitate illa prima, hæc ſecunda ſunt; neq; enim difflari ex habitu corporis bilioſus character poteſt, niſi interioribus fuerit proſpectum prius. Quamobrem ſub declinationem inprimis ex uſu erunt, v. g. *flor. △ris, bez. ♂l. ♁ ♂ cachect. mag. C. C. ſpin. viper. △ aurat. ♁ii, arcan. duplicat. Mynſ. ℞a bezoard. unicorn. ſolare Mynſ. theriac. mithridat. theriaca cæleſt. bezoar orient.* & alia.

Quod ſi verò à deturpatione bilioſâ, & longè magis à veneno malum ortum duxerit, inter primas eadem numeranda erunt meritò, imò illis tunc, neglecto ſymptomate hoc, præcipua curandi demandanda provincia.

Alterantia Specifica ſeorſim opponenda, quæ intemperiem bilis atque hepatis temperant, indeque productam obſtructionem & infectionem tollunt, aperientia ductus, roborantia villos, reſolventia tartarum, attenuantia pituitam, invertentia acidum, diluentia ſingula.

 Hæc

Hæc cum non unius ſint generis, ſufficiat nobis, præter jam tacta, nominaſſe potiora, uti ſunt *rad. chelidon. maj. curcum. rub. tinct. 5. aperient. maj. & min. polypod. filic. glycyrrh. rhapont. gramin. cichor. fol. marrub. fragar. roſmar. abſinth. capill. ♀r. cuſcut. bellid. hepat. nob. agrimon. chærefol. flor. bellid. hyperic. bugloſſ. violar. geniſt. calend. ſummit. cent. min. fumar. epithym. ſem. aquileg. cort. tamar. cappar. crocus, ſand. flav. paſſul. min. ſchœnanth. pulv. cachect. Q. Hartm. Wedel. croc.* ♂ *ſacchar.* ℞*a* ♂ *cydon. pomat.* ℞*a* ♂ ☉*ris,* ☿*ii* ♂*lis, eſſent.* ♂ ♀*ea Ludov. antiſcorbut. temperata,* ℞*a rhabarb.* ☿*iat. volat. trochiſc. de eupator. hepat. rubr. ſpec. diatr. ſandal. diarhod. hepat. de curcum. eſſent. abſinth. compoſ. elix. propriet.* ♂*le,* ⊖ *abſinth. cichor. cent. min.* & ſimilia, variis formulis remixta, infuſorum, pulverum, decoctorum, mixturarum, potionum, quibus ▽ *cichor. urtic. hepat. nob. hepat. Mynſ. apii, fœnic. fragar.* & *ſirupi conformes de adiant. diaſer. Andern. de cichor. cum rhabarb.* &c. velificantur.

Chalybs ipſa ſubtiliſſimè pulveriſata vulgare remedium eſt, atque multum ad educendos pituitoſos humores confert, deſuper movendo corpore. Ad bilis coagulatæ viſcoſitatem ſolvendam ſuccus *graminis, bellidis, cochleariæ, chærefolii,* recens quoque utilis eſt, item ∽*us* ⏀*i dulcis* cum decoctis aperientibus.

Laudantur quoque lumbrici præparati, lapides in felle tauri reperti, pellicula flava ventric. gallin. lap. fulmin. & alia. Sed, ſi fatemur quod res eſt, partim minus illa uſitata ſunt, vel his laudatis & ſimilibus vix anteferenda. Sic & ſtercus anſerculorum, pediculi aſſumpti, quicquid etiam de vi roborandi jecoris ſcriptitet *Zacutus*, minus æſtimanda veniunt.

E X T E R N E commendatur tinca viva, icteri magnes, umbilico, hypochondrio dextro, vel plantis pedum impoſita, donec moriatur, cujus ratio agendi ſine dubio conſiſtit tum in emollitione, ob mucilaginem eximiam; tum in

com-

commotione archei ob conceptam inde ideam, quo utroque in motum citatur quietus humor.

Tacemus magnetica alia, ut urinam ægri in aërem vel fumum suspensam, inspectione repetitam in vas aureum vel cereum, ex quibus etiam potum commendant, intuitum picis liquidæ, quæ objecta itidem vim habent citandi archeum ad excutiendum torporem humorum, ut exempla noverimus, eadem cum successu à pauperibus usurpata. Sic & chelidonium majus & bursa pastoris sub plantis pedum gestata non sunt de nihilo. Hypochondriis adhiberi possunt linimenta, ex ☍ *cappar. byosc.* cum *oleis destillatis absinth. chamomill. succin. lign. rhod.* & emplastra, ex *empl. de cicut. de ammon. Forest. sandal. cum croc. empl. magnet.* & alia. Reliqua aliunde, è suis loculis hauriri queunt.

Ad tollendum denique totius corporis fœdum colorem, suademus balnea, ex aquâ purâ & dulci, cùm speciebus digerentibus, emollientibus & absterſivis decocta, ut *rad. helen. alth. gramin. malv. herb. 5. emoll. nicot. marrub. alb. siderit. abrotan. betonic. rutâ, origan. agerat. fol. lauri, vitis, fl. chamom. Rom. melilot. sambuc. rosar. pallid. sem. anis. fœni Gr. fabar. cic. rubr. fœnic.* ⊖ *le commun. furfurib.* &c.

Colophonem his addit DIÆTA, in concinnâ sex rerum non naturalium consistens observatione. AER eligatur temperatus. CIBUS sit bonæ notæ, vitatis viscidis, infumatis, grossioribus, mucilaginosis, lacticiniis, non fermentatis, frixis. POTUS sit cerevisia probè defecata & diuretica, nec vinum nocet moderatè sumptum.

EXERCITATIONES sint moderatæ, non statim post pastum instituendæ. Cavenda QUIES immodica, cruditatum & torporis mater. SOMNUS non excedat. ALVUS teneatur aperta. ANIMI PATHEMATA sint libera & ad εὐθυμίαν composita.

D. S. L. H. E. G.

D metam tendis; Laurum promittit
Apollo,
Quæ, precor, ut ſemper commoda
multa ferat.

Clariſſimo Hofmanno,
Med. Doctorando dignisſimo,
hæc gratulab. adp.
Rudolf-Wilhelmus Krauſius, D.P.P.

N ſpeculo faciem temeratam labe videmus,
in facie ſpeculum quæ malè corpus
habent.
Tu dum commonſtras in apricâ luce videndum
cultum animi docti, præmia grata capis.

Honori & Affectui Nob. Doctorandi
ſcrib.
PRÆSES.

ICtericos flavos curas feliciter: Ecce!
purpura pro *ſeſtrô* jam tibi certa venit.

CL. HOFMANNO, Ddo,
de novis honoribus gratulaturus poſ.
Auguſtinus Henr. Faſchius, D. P. P.

NOn modo cultorem Themidos ſectantur honores,
Nec dat purpureas hæc tibi ſola togas.
Spargit & in natos largus ſua munera Phœbus,
Et jungit magnis nomina magna opibus.
Nobile conſtituis nobis exemplar, Amice;
Gratulor, & porrò proſpera fata precor.

Nobiliſſimo atq; Præclariſſimo Dno Doctorando,
pauca hæc fauſti ominis e. adjicere Ʋ. d.
M. David Lipach/Eccl. Jen. Archi-Diaconus.